

2  
25

# ARTIS MEDICAE LAVDES.

---

---

INSCRIPTAE NOMINI  
*VIRI PRAECELLENTISSIMI*  
*DOCTORIS*  
*MEDICI EXPERIENTISSIMI*  
**IOANNIS CHRISTOPHORI**  
**LVDOVICI SEIP,**  
PARENTIS INDVLGENTISSIMI,  
CVI  
SVPERATIS QVINQVE LVSTRIS  
SOLLEMNIA TAEDARVM NVPTIALIVM XIII CALENDARVM IVLII  
AVSPICATO RENOVANTI,  
HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
EX FORMVLA ANTIQVA  
D. D. D.

PHILIPPVS FRIDERICVS GVILIELMVS SEIP,  
MED. CVLTOR ET LYCEI HAMBVRGENSIS CIVIS.

---

A. R. S. CIOCCCLXVIII.

---

*HAMBVRGI*  
STANNO I. C. PISCATORIS AMPLISSIMI SENATVS ET GYMNASII  
TYPOGRAPHI.





*Vir Praecellentissime atque Experientissime,*  
*Parens Indulgentissime,*



Ego vero in praecipuis Summi Numinis beneficiis, quibus me ab ineunte aetate adfectum scio, illud maximi facio, quod Deus Praepotentissimus *Te* in praesidium meum atque solatium saluum nunc usque seruauerit ac incolumem. Ita nimirum Deus me amauit, et tanta est *Tua* in filium addictissimum indulgentia, ut meliorem meique amantiorem Parentem vix mente concipere aut cogitatione fingere liceat. In illa rerum mea-

rum serenitate iniurius in me ipsum ipse mihi viderer, nisi benignam diuinam prouidentiam, quam *Tu* hodie veneraris, etiam ipse ueracundius exocularer. Dies certe hodiernus castissimi mei ex incolumitate *Tua* percepti gaudii testis esto sollempnis. Propitio admodum fato quinque hodie lustra superata laetaris, ex quo cum *suauissima* *tui* *Socia*, *Matre mea Indulgentissima*, foedere auspaticissimo iunctus es. Equidem pulcre intelligo, quanta ex isto foedere in *sororem meam unicam eamque mellitissimam* et in me imprimis redundauerint commoda et emolumenta certissima. Non enim Parentem solum, verum etiam formatorem ingenii mei morumque meorum exoptatissimum *Te* adpellare licet, cuius amplissima merita, non secus ac tropaea Miltiadis Themistocli, calcar mihi addere possunt. Et profecto (maturior enim venit aetas) calcar mihi addent. Adnuat modo summum Numen votis meis ardentissimis, et *Te* quam diutissime superstitem esse iubeat. Omnia ego mihi data existimabo,



si per complures amplius annos (idque erit vōtorum meorum summa  
ac fastigium) *Te* salutare licebit

*O! et praesidium dulce decusque meum.*

Largiatur igitur *Tibi* Deus O. M. noua virium incrementa, largiatur  
longam annorum seriem, eaque omnia largiatur, quae fausta ac fe-  
licia sunt nuncupanda. De pietate in *Te* mea, etsi nunc vel maxi-  
me dicendi locus esset, vires tamen mihi deesse fateri malo, quam  
multa parum ornate propellere. Ut publicum tamen quoddam,  
licet exiguum, pietatis meae exstet monumentum, offero *Tibi, Pa-*  
*rens Indulgentissime*, studiorum meorum primitias. *Tuo* potissi-  
mum, *Parens Optime*, iudicio foetum hunc ingenii qualemcunque  
submitto, qui inter medicos huius aetatis principem quendam locum  
obtines, et amorem, quo in artem medicam feror, primus mihi in-  
spirasti. Amore hoc et utili artis salutaris iucunditate adlectus peri-  
culum feci. *Tua Tibi* reddo. Me *Tibi* totum de nouo nuncupo.

VI

Si quid est in me ingenii, si quid officii, si quid pietatis, id a me non postulabis magis, quam exspectabis omne.

Ita vale cum *Matre mea dulcissima* Deo omnem felicitatem sus-  
fecturo etiam atque etiam vehementer commendatus, fauoremque  
*Tuum* paternum mihi conferua

*Praecellentissimi Nominis Tui*

*Hamburgi*

XIII Calend. Iul.

a. r. s. CIOCCCLXVIII.

cultori obstrictissimo filioque  
addictissimo

*Philippo Friderico Guilielmo Seip.*

Artis





## Artis Medicae Laudes.

---

### Summa dicendorum.

*Artibus iniquum saepe statuitur pretium § I. et ars inprimis medica conuitiis onerari solet § II. at conuitia ista tam antiquiora § III. quam recentiora iniquitatis laborare macula demonstratur § IIII. tum ex artis medicae necessitate § V. VI. tum utilitate § VII. tum denique iucunditate plane mirifica § VIII. VIII. laude igitur digna non est defraudanda ars medica § X. nec laude digna sunt defraudandi medici § XI.*

---

### § I.

**A**rtis medicae laudes et largissima ex diuina arte in genus humanum omnino omne redundantia commoda data opera expositurus, facturusne operae pretium sim, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Nolim enim irritare crabrones. Verae certe nec proletariae eruditioni iniquum saepe ab imperita multitudine statui pretium, mirum adeo non est, quum pauciores hodie sint, qui in interiora disciplinarum optimarum penetrent, quumque manibus palpate liceat, quod prouerbio dicitur: *Ars non habet contemptorem nisi ignorantem.* Videmusne ingenia hodierna? Plurimi mortalium id agunt unice, ut sibi diuitias, opes & auctoritatem adquirant, adeoque panem, quod prouerbio dicitur, lucrandum circumspectant. Quum autem non omnis scientia, utut scitu sit



fit utilissima et iucundissima, victum largiorem polliceatur cultoribus suis, factum est inde, ut artes optimae perpauca cultores et multos naetae fuerint contemptores.

## § II.

Constat praeterca inter omnes, magnam huius opprobrii partem in ipsos literatos transferri debere. Sunt complures, qui litteras profitentur, atque tamen histrionum personam sustinent, et ardelionum instar ipsas litteras, quibus nomen dederunt, ludibrio exponunt. At vero, quis ob homines degeneres litteras profitentes in litteras ipsas iniurius esse velit? *Tollatur abusus, retineatur usus.* Quod quum aequitas et iustitia postulet a singulis rerum arbitris, saepe profecto subiit mirari, qui fiat, ut ars etiam medica, qua nihil salutarius esse potest, non contemni solum sed conuictis etiam onerari soleat. Quid autem stultius est, quam ob circumforaneos quosdam Thraones contemnere artem, quae nobis veras ac diurnas spondet voluptates. Age igitur causam artis optimae pro viribus, quas sentio quam sint exiguae, acturus sum &

*Quod si deficiant vires, audacia certe  
Laus erit; in magnis & voluisse sat est.*

## § III.

Fuerunt certe et antiquitus et etiam nunc sunt, qui coeco quodam impetu abrepti in artem medicam iniurii esse solent. Ut fides dicto constet, testem fuscito CORNELIVM AGRIPPAM, rigidum illum Catonem, qui *Nullum, inquit, pro conseruanda vita sanitateque utilius est consilium quam abstinere a medicis.* <sup>a)</sup> Ne quid dissimulem, habet AGRIPPA antiquiores, quorum se auctoritate tuetur. Nam POMPEIVS, CATO MAIOR aliique etiam eo arrogantiae processerunt, ut artem salutarem vel inutilem, vel incertam et fluctuantem appellauerint, in quorum numero etiam PLATO, quod mireris, deprehenditur, cui hoc quidem vitio dandum est, quod artem medicam incertis coniecturis procedere satis audacter parumque verecunde contenderit. Multo maior tamen est impudentia VLPIANI, *Icti ceteroquin famigeratissimi*, qui grammaticos et medicos coniungens, utrosque stultos vocare non erubescit. *Exceptis medicis, inquit, nihil est grammaticis stultius.* Ipse ego iniquissimos omnium pronuntiarem *LXX Interpretes*, qui medicos resurrectionis futurae expertes statuunt: *ιατροὶ μὴ ἀναστήσουσται.* At absanam oraculi sacri

minime

<sup>a)</sup> De incertitudine et vanitate omnium scient. et art. Lib. XXXIII.



minime ambigui translationem vel risu excipiendam suadet medicus celeberrimus  
HENRICVS FRIDERICVS DELIYS. *b)*

## § IIII.

Romanos olim medicam artem maximo despiciatui & pro seruili habuisse, discas ex annalibus, ad quos prouocat CARDANVS: *Medica ars, si qua alia, tota seruilis est, plenaque laboribus et (ut vere fatear) ingenuo viro indigna, ut non mirer olim hoc seruorum fuisse exercitium. c)* Et DIODORO SICULO interprete medici aegyptii aequalem fere doluerunt fortem, nam Anatomici ea aetate conditionem depingens: *Quanto, inquit, potest cursu aufugit, prosequentibus eum quotquot adsunt cum lapidum iaectu et execrationibus, ac si piaculum in ipsum aduertant.* Nec multum abludit EVSTATHIUS: *Medicina Physicae partis, ait, extrema faex est, cui ratio est cum testis terrenisque corporibus, sed quid rationem nominavi, quum magis apud ipsam regnet coniectura quam ratio. d)* PAUSANIAS quoque iungendus est ceteris artis medicae osoribus, quippe optimum dicebat esse medicum, qui aegrotos non conficeret putrescendo, sed quamprimum sepeliret. *e)* Recentiore etiam aetate nondum exoleuisse ista conuitia, vel solus fides facit celeberrimus inter Gallos histrio MOLIERE, cuius verba recitasse sufficit: *Un medecin est un homme, que l'on paye pour conter des fariboles dans la chambre d'un malade jusqu'a ce que la nature lait gueri ou que les remedes layent tue.* Taedet sane pigetque, conuitiis diutius immorari, et agmen claudat ADRIANVS Imperator, cuius querela vel in prouerbii consuetudinem abiit, *πολλοι ιατροι βασιλεα απολεσαν. f)* Ergo ohe! iam fatis est. Quam vana et vel risu excipienda sint illa conuitia, strictim demonstrare in animum induxi meum.

## § V.

Artem salutarem haud temere quis despiciet. Est enim necessaria, est utilis, est iucunda. Est necessaria ARISTIDE interprete: *Si non essent inter homines morbi,*

- b)* Prüfung einiger Stellen aus den 70 Dollmetschern, in welchen die Auferstehung der Aerzte geleugnet wird, Halle 1746. 8.  
*c)* Bibliothec. Lib. I. cap. 99. Rem omnem copiose et docte exposuit IO. FRID. IVGLERVS in medico romano LX Solidos aestimato, Lips. 1742. 8.  
*d)* MACROB. Saturnal. Lib. VII. cap. 15.  
*e)* PLVTARCH. Laconic. pag. 231.  
*f)* XIPHILIN. in Adrian. p. 361.



*morbi, nullus esset medicinae usus, quemadmodum neque ei, qui navigare nolit, gubernatore est opus. g)* Quamdiu ad morbos proclivi corpore sumus adfecti, morbi non desunt; existentibus autem morbis de fanitate tuenda et restituenda solliciti sumus, necesse est. Proinde medicinam, quae nobis remedia parat, necessariam esse quisque intelliget. Sant, fateor, qui naturam optimum vocant medicum, et sibi persuadent, quemcunque aegrotum sensim valetudinem pristinam recuperare posse. At vero non circumspiciunt, qui talia blaterant, quam varia sint morborum genera. Pauca enim prostant exempla, quae nos credere faciunt, homines graui implicitos morbo sine ulla sanari posse ope medica. Si quis autem in morbum incidit, quae remedia adsciscat, nisi medicum peritum in consilium aduocauerit? Quid, sodes, ineptius quam si imperitus remedia, quae in morbis lentis et chronicis valent, in malignis etiam vel acutis adhibere vellet. Summa hic opus est circumspectione, qua diuersis morbis diuersa destinemus remedia, ne quadrata rotundis commiscuisse videamur. Probe dixit IGNATIVS *ὁ πᾶν τραῦμα τῆ αὐτῆ ἐμπλάστῳ θεραπεύεται τοὺς παροξυσμοὺς ἐμβροχῶις πᾶυε.* b) Quid deinde adcommodatius est, quam ut de omnibus morbis, quibus miserum genus humanum affligi solet, solidam nobis adquiramus cognitionem, signa eorum et criteria dispiciamus, et remedia intelligamus, ut denique machinam ipsam corporis humani perspectam habeamus, si morbos fugare aegrotosque ad sani corporis usum reuocare conamur. Quantae autem molis sit, quanti laboris, ad eam peruenire cognitionem, nemo nisi in arte salutari plane hospes negare audebit. Certe *non cuius contingit adire Corinthum*, et multorum tandem annorum praemium est, ut intelligamus, *quid dissent aera lupinis*. Ecquis quaeso opus e ligno, e ferro vel e lapide artificio summo confectum et exornatum homini rudi ad reficiendum tradere aut ipse reficere, aut quod multo iniquius est, quis artificem sollerem contemnere velit? At nos viros homines, artificiosissimam machinam reficere fatigentes adspernabimur, et curas illorum diurnas nocturnasque per iniuriam summis conuitiis compensabimus? Heu! quanta iniuria! et quam vere Aufonius: *Ingrato homine nil peius terra creat.* i)

## § VI.

Neque illud est silentio praetereundum, quod quasi semina morborum in nobis iam sub ortum nostrum sint dispersa, quae zizaniam procreant, unde procliuē est

g) ARISTID. t. III. Orat. I. pag. 174

b) IGNATIVS Epist. VIII. ad Polycarp. pag. 169.

i) Epigrammat. CXXXII.



est colligere, remedia esse quaerenda, quae infelix quasi lolium extirpent. Ad femina haec morborum omnibus communia tot causae praeternaturales, cura, labor, frigus, calor et id genus alia accedunt. Nec obstat antiquissimis iam temporibus extitisse illas morborum causas, quum medici forte non extiterint. Nam quod scite admodum monet I. O. HENR. SCHVLTZIVS V. C. *Facile intelligitur, hominem primum cum sua coniuge, postquam propria culpa mortalitatis legem subierant, non potuisse diu vivere, quin ab ipsa rerum magistra experientia deducerentur ad cognitionem certarum veritatum, quae quasi fundamentum illius scientiae, quae hodie medicina vocatur, praebuerunt.* k) Et rursus alio loco: *Agnoscamus facile, Adamum non minus quam coniugem Evam, suorum natorum propriaeque salutis amore ductos, non negligenter ea notasse & natis tempestive inculcasse, quae in negotio vitae sanitatisque conseruandae experiendo didicerant, ut iisdem circumstantiis recurrentibus utilitatem inde caperent.* l) Ex quibus omnibus conficitur, quamdiu homines existunt, qui variis obnoxii sunt morbis, tamdiu medicam artem esse valde necessariam, sine qua felicitas mortalium consistere nequit. Ex ipsa proinde necessitate Medicinae natales repetendos iudicamus, quam qui friuole negauerit, nescius ipse sui existimandus videtur.

## § VII.

Iisdem fere rationibus, quas modo adduximus, medicae quoque artis utilitas conficitur. Nam quum non de corio hominum ludit sed sanitatem siue tuendam siue restituendam respicit, scite profecto *Diuis IUSTINIANVS Imperator, Medici, inquit, salutis hominum curam agunt.* m) Ad Diui IUSTINIANI sententiam prope accedit *Imperator IULIANVS, Medicae rei scientiam, inquit, hominibus existere salutarem testatur usus perspicuus et manifestus, quare non iniuria factum est, ut eam Philosophi coelitus venisse praedicarunt. Imbecillitas enim animi morbique quotidiani et subiti huius ope corriguntur et sedantur.* Aeta agerem, si rationes modo dictas repetere vellem, et sufficit vel tribus verbis monere, incredibile! quantum interesse, ut sit *mens sana in corpore sano.* Quam dulce nimirum sit sanum esse, intelligas ex opposito. Finge tibi aegrotum morbo gravi et letifero adfectum, spiritum vix ducit, assiduo siti excruciatu anhelat, pauca singultim hincit, inde dolores acius

B 2

exar-

k) In Histor. Medicin. Period. I. Sect. I. cap. I. § V.

l) Ibid. § VIII.

m) Lib. I. ff. de extraordinar. cognitionibus.



exardent, frustra tempus miserum fallere tentat, somnusque, dulce illud TULLIO interprete *omnium laborum ac sollicitudinum perfugium*, deserit eum. Aeger etiam animo lucida, *ut in re medica vocabulo medico utar*, nonnunquam intervalla sentit, ut eo magis cruciatus sentiat suos. Ita alternis vicibus quasi tormentis excruciatu nihil nisi vitae lubricum conficere cursum exoptat, et forti commissus suae terribilem exspectat horam decretoriam, ac de omni salute totus pertimescit. Ecce autem medicus praesto est, in causas dolorum inquirat, et diris morborum insultibus idonea opponit remedia. Doctrina experientia coniuncta quotidie medico viam ad aegri restitutionem sternunt. Morbus cessat, et aegrotus de viribus recuperatis in sinu gaudens de nouo se genitum esse credit, serenaque fronte medico, gratias illi agens obuiam ibit, cibum adpetentior capiet, nunc somni dulcedinem percipere valet et ab omni dolore liberatus negotia hilariori animo obibat; et quid multa? totus iuuenescit, vegetum corpus tradit senectuti minus molestae. Quod si autem a benigna diuina prouidentia paululum discesseris, cui potius quam medicae arti felicem hanc metamorphosin tribuas? Aequum ergo est, ut medicum sollertem verecundius colamus, nec artem, quam ille tractat, in vilioribus ponamus, quum ei valetudinem, animi serenitatem et magnam felicitatis nostrae partem acceptam referamus. Consentientem habemus SENECAM, virum excellentis ingenii, qui *quum sanitas videatur esse de fato, inquit, debetur et medico, quia ad nos beneficium fati per huius manus venit.* \*) Si omnia ceteroquin omnium artium commoda, dotes atque munera dispicis, nihil est Medicina melius, nihil optabilius. Nam si vita cunctis mortalibus carissima: si lux ea imprimis expetenda, in qua viuimus, spiramus et iucunda consuetudine inter nos coniungimur; si ea primum est et praestantissimum munus nobis datum: ars quae illam seruat, continet ac tuetur, certe est omnium praestantissima; quaeque magis possunt in hominum esse votis, quam illa quae morbos et aduersam valetudinem propulsant? quae vitam incolumem ab omni aerumna et languore liberam quam diutissime praestant? Nam ut nullae opes, nullae fortunae ampliores sint corporis firma constitutione: sic fracta aut concussa illa nihil est tristius. Ipsa nimirum sanitas per se expetenda est: utpote pars  
maxima

\*) Lib. II. Nat. quaest. cap. 38.



maxima felicitatis humanae, et ex qua una omnia reliqua mortalium bona cum, quem habent, splendorem et dignitatem mutuari videntur.

### § VIII.

Necessitati ac utilitati medicae artis iucunditatem subiungere non dubitabo. Obscura illa videbitur nemini, qui illud **GALENI** considerauerit *ὁ ἰητὴρ τῆς φύσεως ὑπηρέτης*. <sup>o)</sup> Minister ergo naturae medicus est et sollers imitator ac spectator. Perpetuo enim naturae motus ac propensiones, per commodas et opportunas vias noxia propellere conantis, animaduertit et imitatur: ita facilis et tuta existit curatio; facilis quidem, naturam quia habet opitulantem; tuta, quia naturam ipsam sequimur ducem. Quumque Medicina ars sit sanandi non nocendi: ita eius cultor recte naturae minister vocatur. Intima enim secreta et penetralia naturae rimatur, iucundosque eius recessus vestigat et humanum corpus, eximium illud rerum admirandarum miraculum, contemplatur eo fine, ut id, si extra sanitatis lineam exilierit, reducatur. Quid autem suauius quaeso esse potest, quam naturae minister vocari, seque in illius quasi familiaritatem dare, quod de medico vel in Botanicis vel in Anatomicis studiis occupato vere praedicari potest. Botanica certe quotidie noua nobis in regno vegetabili admiratu digna offert, quouis flos, quacuis herba, quoduis folium de creatoris omnipotentia testari videtur. Quapropter omni aeuo hoc iucundissimum pariter et utilissimum studium maximis principibus, ut **LYSIMACHO** Macedonum regi, **GENTIO** Illyricorum regi et **FRIDERICO III.** Imperatori Germanico plurimisque aliis summopere fuit commendatum et diligenter admodum excultum, qui non temere existimarunt, non solum ad sustentationem ac conseruationem vitae humanae percommodum sed etiam suarum curarum ac molestiarum asylum oblatum esse et conuenientissimum praesidium. Voluptas etiam et animi recreatio, ex hoc ipso studio repetenda, non nisi honestissima esse potest: ad id enim quod pulchrum honestumque est, hominem manu quasi

B 3

ducit.

<sup>o)</sup> In Libr. num ars tuendae sanitatis ad medicinalem artem spectet an ad exercitatoriam, cap. 26.



ducit. Sugerunt quippe flores sua pulchritudine, coloris elegantia, formae praestantia, odoris suavitate generosis honestisque animis, honesti pulchrique et omnium virtutum recordationem. *Turpe* namque, ut proverbio dicitur, *foret pulchra tractantem non pulchrum habere animum.*

## § VIII.

Ad Anatomiam deinde quod attinet, illius iucunditatem nemo in dubium vocare sustinebit, quum adcurata corporis nostri cognitione nihil iucundius esse queat. At medicus stupendam corporis humani machinam admiratur, illius fabricam naturam penitius scrutatur, ossa nimirum omnia, cartilagine, musculos, *ut medice rursus cum medicis loquar*, ligamenta, partes item nutritioni famulantes et propagandae speciei inferuientes, cordis praeterea structuram et ipsius functioni ministrantia organa; cerebrum denique et huius actioni destinatas partes: utque breuiter dicam, corporis minutissima quaeque, horumque omnium usus attenta cogitatione prosequitur. Quanta autem sit sapientia et ordo in totius corporis structura, medicus quam sollertissime animaduertit, in quo nullae fibrillae sine ratione sufficiente adsunt. Sic medica quoque artem ad Dei supremi cognitionem sternit, et medicum tanta admiratione afficit, quam nemo, nisi cultioris sit ingenii, percipere valet. Nec ista tradidisse ars illa contenta est, sed et quomodo haec corporis minutissima ex elementis nata sint, qualemque ex horum commistione consecuta sint temperaturam ostendit. Postremo causas, quae fabricam hanc et naturam conseruant, quaeque eandem destruant, ob oculos ponit.

## § X.

Quum itaque tot et tantarum rerum peritia ornatum esse oportet medicum: ab omni certe adulationis suspicione liberandus est HOMERVS, cuius praeconium dudum in proverbia consuetudinem abiit: *ἰητὴρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων.* p) Quid enim multis commemorem eam facultatem, quae  
aut

p) Iliad λ.



aut valetudinem adflictam recreat aut turbatam restituit, immo quae fugientem ipsam animam et tanquam e carcere, quo retinetur, euadere gestientem quasi remoratur? Recte rursus HOMERVS, ἰητρός καὶ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων. 9) Iure proinde quodam suo ufa est cana antiquitas, natales medicae artis ab ipsis Diis repetens et Apollinem inuentorem adpellans. Apollinem ipsum prodire iubet OVIDIVS:

*Inuentum Medicina meum est, opiferque per orbem  
Dicor, et herbarum subiecta potentia nobis. 1)*

Et certe quum medicam consideraueris artem, illius origines non nisi ad verum Deum referas, necesse est, quod ipsum nec disfitetur regum sapientissimus SALOMON: *Medicum colas et obserues, etenim illum creauit Altissimus.*

### § XI.

Pleni sunt omnes libri, plenae sapientum voces, plena exemplorum vetustas, quanto antiquitus in honore fuerint medici. Ex largo exemplorum adparatu pauca duntaxat delibabimus. Chorum ducat Pontifex Maximus MARTINVS V. qui, quod Germanis inprimis meis honori cedit, diserte testatur: *Germanum quemdam medicum prolongasse sibi vitam in annos quingentos.* Longe tamen illustrius est praeconium, quod Pontifex rursus in sede romana Maximus CLEMENS V. Germano cuidam medicae artis perito, cui nomen indunt annales REISPACH, tribuendum existimauit, quippe medicum Praefulem summum constituit in sede Moguntina, lepidam hanc adferens rationem: *Qui tam felix esset corporum curator, maxime conuenire ut et insignis constituatur animarum pastor, curator et medicus.* Nimis foret prolixum, si ex antiquitate Graeca aut Romana exempla repetere luberet, nec rei haud ignotae diutius immorari expedit. Coronidem igitur opellae nostrae imponat SENECA scriptor grauisissimus, cuius ego verba in calce huius dissertatiunculae lubens recito, quod

9) Odysf. δ.

1) Metamorphof. Lib I. Fab. 9. v. 521.



quod Praeceptores scite ac pulere coniungit et utrisque idem statuit pretium. Isto modo, inquit, SENECA, ne medico quidem debere te nisi mercedulam dices: nec praeceptori, quia aliquid numeraueris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia est. Aduersus hoc respondetur, quaedam pluris esse quam emuntur. Emis a medico rem inaeestimabilem vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore studia liberalia et animi cultum. Itaque his non rei pretium sed operae soluitur, quod deseruiunt, quod a rebus suis auocati nobis vacant: mercedem non meriti sed occupationis suae ferunt. <sup>s)</sup>

s) Sen. de Benef. Lib. VI. cap. 15.





...elegantia, bene  
 ...lundi quibusque et  
 ...suebitur, jure  
 ...non enim a beatis  
 ...et nihil tandem de  
 ...hinc aditum, sine  
 ...ia, velleque, meli-  
 ...sue non certum fe-  
 ...sue fructum et ip-  
 ...a bene etiam defini-  
 ...na queque, hocque  
 ...na cum se sapientia et  
 ...risque amabere, in  
 ...se media queque et  
 ...in cum aditum et  
 ...vult. Ne ita velle  
 ...maxima et danti  
 ...fuit temperant et  
 ...conferant, queque in  
 ...mum esse oportet  
 ...e et Homero, qui  
 ...arpe: velle et  
 ...cum temperant, que  
 ...

8  
 19  
 18  
 17  
 16  
 15  
 6  
 14  
 13  
 5  
 12  
 11  
 4  
 10  
 9  
 3  
 7  
 2  
 5  
 4  
 3  
 1  
 2  
 1  
 Centimetres  
 Inches

# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

# TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B				W	G	K				C	Y	M			